DE

CATHETERISATIONE UTERI

IN PARTU ARTE PRAEMATURO.

DISSERTATIO
INAUGURALIS OBSTETRICIA

QUAM SCRIPSIT

ET

AMPLISSIMI MEDICORUM ORDINIS

CONSENSU ET AUCTORITATE

IN

ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE VIADRINA

AD SUMMOS

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE IMPETRANDOS

DIE XXVII. M. MART. A. MDCCCLXVI 1866

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

IGNATIUS ZIELEWICZ

POLONUS.

ADVERSARIONUM PARTES SUSCIPIENT.

ST. GOLSKI, DR. DES.
AL. OSTROWICZ, DR. DES.
J. RUCZYNSKI, PHIL. STUD.

VRATISLAVIAE

TYPIS A. NEUMANNI.

PATRUO CARISSIMO

QUI MIHI PATRIS LOCO FUIT

NEC NON

MANIBUS

CAROLI MARCINKOWSKI

SACRUM.

„Der Meister kann die Form zerbrechen
Mit weiser Hand zur rechten Zeit".

Jam antiquissimis temporibus medica ars popularis habuit, quo graviditatem artificiose interrumperet [1]. Hoc vero est tempus, quo inter partum praematurum artificialem et abortum nullum erat discrimen, — immo saepissime benefica naturae vis ita adhibebatur, ut gravidae mulieres impie scelerateque partu non optato ante tempus justum se levarent. Et res publica romana, quum ceterarum rerum, tum hujus sceleris culpam extremo tempore in se admisit, quo factum est, ut Roma paucis vere Romanis genitis corruerit. —

Humanissima demum Christi doctrina effecit, ut foetus debilis, viribus destitutus legibusque indefensus majori, quam antea fuerat, curae haberetur, graviditasque artificiose praecisa nefas putaretur. —

Sed quum initio saeculi superioris, gynaecologia in dies magis crescente, auxilium obstetricium e manibus rudium artisque obstetriciae non peritarum feminarum pastorumque, qui insuper superstitionibus obnoxii erant, extortum in medicorum traderetur, quumque biatocia (Accouchement forcé) et inventus forceps melius matri partuique tempus afferret, ecclesiasticae autem sicuti

---

[1] Albert Krause. Die künstliche Frühgeburt. Breslau 1855. pag. 135.

publicae leges, ne graviditas mulieris, quae sana esse putabatur, consulto praecideretur, omnibus partibus vetarent: medici Londinenses, num partus arte praematurus respectu morum, legum artisque medicinae habito, quibusdam conditionibus excusari possit, dijudicatum convenerunt anno MDCCLVI. A quibus responso affirmante dato Macaulayus Londinii eo ipso anno hanc operationem, ut matrem et partum servaret, exsecutus esse dicitur. Inde ab eo tempore numerus hoc modo feliciter effectarum operationum semper augebatur et postquam fama ejus operationis, Francogallis vel maxime resistentibus, per omnes cultiores humanioresque gentes manavit, factum est, ut notio partus praematuri artificialis ad modum disciplinae arctioribus finibus circumscriberetur, ita ut nos quidem partum praematurum artificialem eum esse intelligamus, quo uterus extremis tribus graviditatis mensibus ad edendum partum eo consilio, ne mater una cum foetu ex exspectanda maturitate partus periculum sibi contrahat, impellatur. —

Ad quod consequendum diversae viae atque rationes adhibitae sunt, veluti oocystocentesis, metraucheurysis (usus spongiae compressae), colpeurysis, catachysis (Douche), injectio intrauterina, adhibitio Laminariae digitatae [1]) et catheterisatio, quae probatissimae atque nunc quoque, quibus partus arte praematurus instruatur adorneturque, usitatissimae sunt rationes. —

Perpulcrum negotium, quod medico arte et opera parturientibus opitulanti mandatum est; id autem negotium ad absolutissimum atque perfectissimum fastigium tum demum evehitur, quum medicus formidoloso armamentario posthabito lenissimis naturae artibus opus aggressus gravidae de vita desperanti lucem salutis affert.

Quum ita negotium medici obstetricii munere operatoris fungentis comprehenderem, in animo est, cathe-

---

[1]) C. Braun: Wiener med. Presse Nr. 20 et 21. 1865.

terisationem uteri, metodum quam *Krausianam* vocant, accuratius discoeptandam eligere, idque eam ob causam, quia mihi inter omnes alias rationes ei postulationi, pro qua quaeque operatio chirurgica „cito, tuto et jucunde" fiat necesse est, optime respondere videbatur. —

I.

Qua ratione methodus Krausiana exculta sit, demonstratur.

In terra Batavorum, ubi prima partus arte praematuri efficiendi cogitatio, antequam in Anglia efficiebatur, maturuit, etiam hujus methodi primi exstiterunt igniculi. Zuydhoekius senex medicus obstetricius Amsterodamensis, quod quidem Lehmannus amicus ejus memoriae tradidit, cereolum 9″ longum et 2—3‴ crassum inter velamenta et uterum per posteriorem uteri parietem circiter 6—8″ sublime induxisse statimque eum amovisse dicitur. Quo facto gravidae doloribus tentabantur, qui, ubi relaxarunt, repetita operatione denuo concitabantur et tardiore partu mixtura Secalis cornuti et Aloës augebantur. —

De excolenda hac methodo Lehmannus, praepositus domui publice institutae arti obstetriciae exercendae optime meritus est descriptis amici praeceptis et maxime, quum experientia doctus ejus methodum, quaeque de ipsa cogitaret, primum libello „Beschouwingen ower de door Kunst verwerkte baring door Lehmann. Amsterd. 1848" [1]) deinde commentatioue „Tydschrift der Niederlandschen Maatschappy" inserta, novis in hujus methodi gratiam

---

[1]) Interpretatio Francogall. a Rodenbergio facta, quae inscribitur: Memoires et observations sur l'accouchement prematuré. Paris 1852.

observationibus additis quam deligentisse commendaret. — Qua methodo usus Lehmannus decies sexies et id plerumque ob angustiam pelvis operationem cum prospero omnium matrum eventu exercuit, infantes duodecim vivos suscepit. — In duobus casibus instrumentum bis, in uno casu sexies utero inserendum erat [1]).

Exemplum Lehmanni secuti sunt Koppelhoffius, Broersius et Thomasius Batavienses.

In operatione a Koppelhoffio et Broersio instituta mortuus est infans. Thomasio in duobus casibus ex adhibita hac methodo nullus contigit eventus. —

In Helvetia Billeterus et Pfennigerus (Schweizer'sche Zeitschrift für Natur- und Heilkunde. Neue Folge Bd. III. p. 120.) bis adhibuerunt catheterem elasticum immissumque statim removerunt, quippe qui nihil aliud nisi dolores utero irritato excitare deberet. Quae operatio identidem repetita exoptatum praebuit eventum, quum partus expectationem non diu moraretur. —

Et Mampeus Stargardi hac methodo utebatur, agendique rationem his verbis describit [2]): „Ich führte „ein elastisches Katheter in den Muttermund bis zu den „Eihäuten, entfernte nun dessen Seele und führte es von „Neuem in einer verändeter Richtung hinein. Das „Manöver wiederholte ich 5—6 Mal und nahm „das Katheter dann ganz heraus; dies Verfahren war ganz schmerzlos für die Mutter, „was doch auch nicht ausser Acht zu lassen „ist. Bei den in Rede stehenden künstlichen Frühge„burten habe ich diese Methode immer in Anwendung „gebracht und in vier Fällen bewährt gefunden, aber

---

[1]) A. Krause l. c. p 321. Historica hujus rei commentatio in „Naegele's Lehrb. d. Geburtshilfe" V. Aufl. p. 455 est falsa.

[2]) Casper's Wochenschrift für die gesammte Heilkunde 1838. p. 658. —

„keineswegs traten die Wehen immer 16 Stundeu nach „der Operation ein, sondern es währte in einem Falle „sogar 48 Stunden, bis sich Thätigkeit in der Gebär-„mutter zeigte. In dem fünften Falle reichte diese Me-„thode nicht aus und ich musste mich endlich zum „Eihautstiche bequemen.“

Praeterea Merremus Coloniae (Monatsschrift für Geburtskunde 1853 Bd. 1. p. 115.) plures partus arte praematuros eo effecisse dicitur, quod specillum flexibile per posteriorem uteri parietem, quam cautissime fieri potuit, tam alte duxerit, ut placenta atticta aliquantum sanguinis effusum sit [1]).

Etiam in Anglia vestigia hujus methodi usurpatae inveniuntur. R. Leeus Londinii (Clinical midwifery Lond. 1848) in muliere Ryan ob angustiam pelvis, quum undecies ventrem ferret (quam graviditatem etiam tres subsecutae sunt) partum praematurum artificialem cathetoris opera effecit ita, ut partus viginti quatuor horis post editus sit [2]).

Summa numeris notata methodi Lehmannianae adhibitae ex iis, quae sequntur, dillucide apparet. Cercelus aut catheter flexibilis omnino vicies quinquies: et is a Lehmanno decies quater (bis sine ullo exitu) quater a Mampeo, ter a Billetero et Pfennigero, et a Koppelhofio, Thomasio et Broersio semel a singulis cum prospero eventu adhibebatur, unde in Hollandia decies septies, in Germania et Helvetia septies, in Britannia semel feliciter adhibitus esse intelligitur. Lehmannus post cereolum impositum saepissime quidem febriculam incidisse obser-vabat, quae vero, quum mox relaxaret, nihil periculi habebat, ita ut omnibus gravidis puerperium justum esset. Ex duobus et viginti infantibus vivis partu editis duo

---

[1]) A. Krause l. c. p. 221.

[2]) A. Krause l. c. p. 163.

primis jam viginti quatuor horis mortui sunt; duo exanimi in lucem suscepti sunt; quo opportunum infantibus exitum fuisse apparet. —

Diuturnitatem partus componit Krauseus [1]) hoc indice:

in 1. 3. 1. 3. casibus partus tenuit
1. 2. 3. 5—8 dies.

A. Krauseus Dorpati anno 1855 in lucem protulit praeclarum suum, cujus supra jam saepius mentionem feci opus, quo Lehmanni catheterisandi rationem usque ad hoc tempus usitatissimam ita commutavit, ut catheterem flexibilem in altitudinem 7—8″ inductum donec sufficientem agitationem motumque uteri excitaret, in uteri cavo teneret. Krauseus non ignorabat, interesse inter adhibitum catheterem flexibilem et cereolum, qui cereolus quum rigidior superficieque minus levior sit magis uterum irritet necesse est, quam qui est levis, flexibilis eoque omne vitans impedimentum catheter. Vim quidem instrumento concitatam multo efficaciorem magisque assiduam esse, cum diutius instrumentum in utero jaceat, quam quum parumper uteri parietes attingat, accuratius demonstratu non opus est. —

Lehmannianam operationis exercendae rationem cum facillimam et eam esse intelligeret, quae non modo dolores parturientis haud parum diminuat, sed etiam periculum matri infantique imminens quam minimum reddat, Krauseus observationibus quas ipse expertus erat adjunctis id effecit, ut haec immutata Lehmanni ratio inde Krausiana dicta, spem eventus certiorem praeberet partumque breviorem contraheret. Libro [1]) enim ejus mentionem insertam iuvenimus eum hac methodo in quatuor partibus qui 1—2 dies tenebant, semel infecta re, adhibita ter prosperum tulisse eventum, cum e tribus

[1]) l. c. p. 322.
[2]) l. c. p. 299.

infantibus, quos vivos suscepisset unus tantum e vita discesserit.

Quibus virtutibus haec Krausiana ratio insignis, cum digna videretur, quae aliis praeferatur, principatumque obtineat, factum est, ut plurimi iique doctissimi imprimis Germanici in eadem arte obstetricia versantes medici accuratius re perspecta, prosperoque eventu ex hac ratione identidem percepto diligentius ad eam animum applicarent, eamque quam maxime fieri potuit excolendam sibi proponerent, quo in numero imprimis Heckerus[1]) qui Monachii hac methodo utitur, Martinus[2]) Berolini, Scanzonius[3]), Herbipoli (Würzburg), Valenta[4]) Aemone (Laibach), C. Braunus[5]) Vindobonae, Spiegelbergus Regiomonti et Vratislaviae habendi sunt.

Postremum commemorandum est C. Braunum loco catheteris flexibilis chordam adhibendam commendasse[6]).

---

[1]) Hecker und Buhl. Klinik der Geburtskunde B. 1 p. 202.

[2]) Monatsschrift für Geburtskunde etc. B. XIX. p. 68.

[3]) R Döbner in „Würzb. medic. Zeitschrift 1865. B. 6. I. II. Heft

[4]) Wiener-Medicinal-Halle J. 1861, 1862, 1864.

[5]) Wiener medicinische Wochenschrift 1858 Nr. 46.

[6]) „Ueber die uterinale Katheterisation mit Darmsaiten in ihren Beziehungen zur Erweckung der künstlichen Frühgeburt“ W. med. W. 46. 1858.

II.

Quomodo operatio perficienda sit describitur.

Saepissime status pudendorum internorum praeparationis ad operationem exsequendam indiget. Descriptionem igitur quam hic facere animum induxi, in duo temporis momenta dividendam esse puto.

A. Actus praeparationis.

a. Ubi catheteri in uterum inserendo difficultates, ore uteri arctius concluso insolitae obsistunt, nonnullae calidae catachyses in portionem vaginalem fiant necesse est, donec os uteri satis laxetur et aperiri coeptum sit. Plerumque vero catachysis nihil aliud efficit nisi solam relaxationem vaginae et portionis vaginalis.

Ad canalem cervicalem tam late aperiendum ut catheter in uterum penetrare possit, maximum valet

b. *Laminaria digitata*, ex qua conus cujuslibet crassitudinis factus in canalem cervicis caute inducitur et spongia, ne excidat in vaginam imposita munitur, qui conus ubi quam maxime iutumuit, filo ei alligato retrahitur. Virtutes Laminariae sunt magnae, cum et in canalem cervicis facile intret, tum non tam rara sit, quam spongia pressa. Praeterea collum osque uteri internum non irritat ultra modum, neque ullos excitat sensus molestos, non foetet et quum triplo aut quadruplo aequabiliter intumescat [1]) quominus aër adeat impedit.

---

[1]) E duobus *Laminariae digitatae* generibus non nisi *Laminaria Cloustoni Edm.* in chirurgico est usu. Observationes de ea a Prof. Ferd. Cohno Vratisl. institutae sequuutur: „Im Wasser aufquellend nehmen die Stiele der *L. Cloustoni* nach einigen Stunden wieder ihre frühere Dimension an; bei entsprechenden Versuchen erreichte

B. De inductione catheteris.

In os uteri gravidae supine cubantis per insertos ei indicem et medium digitos catheter flexibilis gummosus (aut cereolus chordaceus, quem vult adhiberi C. Braunius) acumine antea in fervida aqua intiçto imponitur et rotatus in uteri cavum sursum promovetur. Si qua re catheter quominus ultro promoveatur impeditur, vi non est moliendus trudendusque, sed loco suo permaneat necesse est, et spatio temporis aliquo interjecto, num altius induci possit tentandus est. Paulo ante oocystidem diruptam aut ante partum infantis amovetur, nisi, quod persaepe fit ab utero ipso se contrahente protruditur. Haud ita multo post inductum catheteram gravidae torminibus se affectas esse dicunt. Dolores interdum fiunt acerbissimi atque vehementissimi, ita ut prudentis sit instrumentum paulisper amovere idque, doloribus paulum relaxatis, iterum introducere.

Martinus[1]) in omni operatione catheterem nondum usitatum usurpandum esse putat. Idem in tribus casi-

ein Cylinder von 55 Millim Länge und 24 Millim. Umfang im Wasser von 20° R. nach 2 Stunden einen Umfang von 27 Millim., nach 12 Stunden von 35 Millim, nach 18 St. von 40 Millm., nach 24 St. von 42 Millim.; die Länge war zu 61 Millim (11 %) zugenommen. Es wurde daher der Durchmesser der L. durch Aufquellen von 7,96 bis 13,88 Millim. um 72 % etwa im Verhältniss von 11 zu 19 vergrössert; dem entsprechend würde ein Canal durch diese Laminarie im Verhältniss von 49,9: 146,9, also fast um das Dreifache erweitert werden. Für die Praxis zu berücksichtigen ist jedoch der starke Gehalt der dickeren Laminariastifte an Meersalz, der sich durch einen scharfen Geschmack kundgiebt, wie ihre Neigung zum Faulen und mitunter zum Brechen. (II. Bericht der bot. Section der Schles. Gesellsch. im J. 1864.)

[1]) Monatsschrift f. Gebkde. Bd. XIX. p. 68.

bus cum post quinque resp. duodecim et sedecim horas dolores sufficientes non exstitissent, alterum crassiorem catheterem juxta priorem in uterum imposuit, quo statim efficaciores dolores effecit.[1])

III.

De virtutibus methodi Krausianae.

Omnis methodus partus arte praematuri efficiendi id spectat, ut activitas dolorum quam moderatissime atque lenissime excitetur et ita augeatur, ut non nisi doloribus ipsis infans partu edatur. Dolores Krausiana methodo adhibita celeriter concitari, quum ex aliorum casibus, tum ex eo quem Reynierus[2]) exploravit maxime elucet. Reynierus enim in partu ceteroquin justo, quum doloribus intermissis catheterem in uterum imposuisset paucis minutis post eum insertum dolores excitavit, eosque tam assiduos et vehementes, ut infans una hora post in lucem prolatus sit.

„Ein schädliches Uebermaas des Reizes" — ait Krausius — „steht dabei nicht zu befürchten, denn einerseits ist der Katheter so wenig umfangreich, so glatt und seine Oberfläche so wenig reizend, dass sich eine pathologische Reaction kaum zu entwickeln vermöchte, andererseits treiben ihn die Wehen selbst, alsbald sie energisch auftreten, bald aus dem Uterus heraus." —

Quae recte intellecta esse C. Braunius affirmat, qui expertus erat partum, cathetere uteri cavo 6—12 horas infixo haerente justissime praeparari et effici. Quae quum

---

[1]) Ibd.

[2]) Gaz. des hôpitaux 1859 N. 140.

ita sint, haud mirum est, plerosque, qui hac methodo saepius usi sint consentire, illam methodum cum dolores excitet eosque gradatim augeat id quod fere non nisi justo partu sub finem physiologicum graviditatis fieri solet, — eam esse, quae et spem certi, celeris neque molesti eventus praebeat, et omnes adversas res, veluti congestionem laesionem uteri, disjunctionem placentae tollat. Accedit quod apparatibus iisque majoris pretii non opus est, ita ut plerumque catheter semel impositus ad dolores vehementes concitandos sufficiat; quae omnia medicus practicus a methodo optimo jure postulare potest.

Punctionem (Oocystocentesin) et intrauterinam Injectionem catheterisatio eo antecellit, et quod aeque certum, eumque multo celeriorem habet effectum, quam duae priores supra memoratae rationes, et quod irritatio nervorum uteri motoriorum gradatim fit.

In intrauterina Inject. adhibita nonnunquam etiam observatur in venas, placenta sejuncta patefactas, bullas aëreas intrare posse. Ceterum magna pars prosperi eventus, quem praebet Coheniana methodus catheteri tribuenda est. Quomodo methodus Krausiana cum Hamiltonis cohaereat Krausius in hanc sententiam describit: „Die Ausführung ist in einem weit grösserem Umfange „ermöglicht, als bei dem Hamilton'schen Verfahren, in„dem das intrauterinale Katheterisiren nur durch Uner„reichbarkeit des Muttermundes ausgeschlossen wird und „der Erfolg ist sicherer und prompter, denn die Reaction „ist ohne Zweifel erfolgreicher, wenn der wehenerweckende „Reiz den Mittelpunkt des Uterinkörpers, also die sen„sitiven und motorischen Nerven gewissermassen in ihrem „gemeinsamen Ursprunge, als wenn er nur die periphe„rische Ausbreitung einzelner Nervenfasern trifft. Der „tief eingeführte liegen bleibende Katheter vermag das „auf kurzem unmittelbaren Wege zu erreichen, was das „Abtrennen der Eihäute vom unteren Uterinsegmente „auf langem und wenig zuverlässigem Wege erstrebt."

Punctio velamentorum spontanea in methodo Krausiana plerumque non nisi casu fit, qui in maxima pelvis angustia momentis anatomicis adjuvatur.

IV.

De prognosi quae ex methodo uteri catheterisandi conjiciatur.

Puerperis catheterisatio nullum conflat periculum si modo praecaveatur, ne instrumentum utero immissum diutius maneat, quam opus sit partum ultro procedere, — quamque gravida ipsa mechanicam irritationem interni oris uteri, membranae mucosae vaginalis et uterinae sustineat. Quae quum respiciantur catheterisatio innocentissima est inter omnes methodos, ad partum praematurum artificialem usitatas. —

Quamquam Heckerus[1]) eo innixus quod primo complexum propriorum peculiariumque reflexuum nervosorum — deinde statum febrilem inter pariendum et mortem matris Phlebitide uterina et Pyaemia post cereolum elasticum adhibitum observaverat, Krausianam methodum suspiciosam ancipitamque esse putavit. Atqui Heckerus, ut taceam casus ab eo observatos singulos esse, non demonstravit haec incommoda ex methodo ipsa adhibita exstitisse. —

In plurimus adhuc observatis casibus ratio Krausiana puerperis faustissima evenit, atque quamquam idem de vitis infantium conservatis dici non potest — tamen haec incommoda, si non magis, at pariter omnibus aliis partus arte praematuri efficiendi methodis exprobrari posse constat.

---

[1]) l. c. p 202

V.

Sequitur descriptio trium casuum in clinico obstetricio Vratislaviensi duce Ill. Prof. Spiegelbergo observatorum.

Casus I.

Angustia pelvis. Partus arte praematurus catheteristione uteri et Laminaria digitata effectus. Partus 34 horis post primam inductionem Laminariae et 11 horis post applicatum cathterem. Infans vivus natus postea mortuus est. Mater ex lechodochio sana dimissa.

Susanna R. ancilla ex pago Neudorf, vico haud procul a Vratislavia sito, viginti tres annos nata, iterum gravida, brevi ac robusto corpore, capillo subflavo, in priori graviditate abortum fecit septimo mense.

Exploratio:

Mammae magnae — glandulae uberius excultae — papillae parva, larga et erectilis — areola colore fusco — et ea erat qualitate, quam Francogalli „gonflement" vocant.

Venter:

	die 25. Octob.	die 9. Nov.
latus, prominens, tractabilis,		status idem
Ambitus	= 90,5 CM.	94,4 CM.
longitudo	= 35,17 CM.	38,19 CM.

Ventris tegumenta pigmentata, striis vacuaumbilicus bullae formam immitans.

Uterus:

die 25. Oct.	die 9. Nov.
globosus, resistens paulum liquoris amnii continens	tractabilis, latus prominens, passim se contrahens.

Infantis pars praejacens in I. Diag. diam. — motus foetus vivaces, pulsus foctalis normalis.

Exploratio interna, instituta die 9. Nov. vaginam ejusque laquar admodum mollia atque relaxata esse, segmentum uteri inferius dilatatum, sed tenue et non minus molle fuisse docuit. Ejusmodi quoque erat cervix uteri medio in laqueare — orif. Uteri clausum. Praejacens infantis pars caput erat in I. positione cephalica.

Mensio pelvis quod sequitur docuit

C. d. $= 3^1/_4''$ P.
Sp. J. $= 8^1/_2''$
Cr. J. $= 8^3/_4''$
D. Tr. $= 11''$
C. v. = paulo minus 3″ P.

Quum externa et interna exploratione perfecta conjici posset foetum 35—36 hebdomadum in felici situ et habitu versari, prognosi fausta partus arte praematurus instituèndus videbatur.

Gravida die 9. Nov. vespere remedium purgans recepit, atque labro insidens calida lavabatur (Sitzbad). Postridie nona hora matutina in canalem cervicis conus e Laminaria factus 1‴ crassus insertus est, qui quum canalem cervicalem in formam infundibuli amplificasset sexta hora postmeridiana commutatus est cum crassiori, qui facillime impositus, ne excideret, spongia ibidem munitus est. Per noctem gravida levioribus alvi doloribus conflictabatur· Mane diei XI. Nov. uterus manifestas etsi leves contractiones ostendit. Spongia remota canalis cervicalis, quum Laminaria valde intumuisset, repertus est, qui 1—2 digitis pateret. Os uteri internum extensum et angustum, cui velamenta paulo intenta insidebant,

quae exploranti caput in I. positione attrectandum praebebant. Ad partum ipsum efficiendum, hora octava matutina catheter elasticus in uteri cavum tam alte inductus est ut infima ejus pars in vagina jaceret. Cathetere facile inducto, quum operatione facta, situm lataralem in lecto obtinere gravida jussa esset, statim validae uteri contractiones consecutae sunt. Inde ab hora matutina XI. dolores frequentiores et validiores, utero magnopere se contrahente, cooriebantur. Cervix $^3/_4$'' erat longa, os uteri internum aeque atque externum circiter 2 Cm. patebat. Inter dolores velamenta vehementer extendebantur, per quae caput mobile manifeste attrectari poterat non ex adverso ipsius oris uteri sed obliquum in dexteram declinans. Hora 1$^1/_2$ postmeridiana dolores aequabili vi erant, cervix paene evanuit. Os uteri circiter 4 Cm. amplificatum, caput in pausa mobile erat; pulsus foetalis minus distinctus et justus erat, quam qui numerari posset. Hora 2$^1/_2$ postmeridiana cervix plane evanuit et quum dolores frequentissimi, molestissimi et tam vehementes essent, ut parturiens frigore febrique jactaretur, catheter utero amotus est et ut dolorum vehementia tardaretur, aestus et jactatio parturientis sedarentur, injectio hypodermatica $^1/_3$ gr. Morph. mur. facta est. Quum etiam hora quinta postmeridiana dilatabili ore uteri oocystis quamvis maxime distenta rumpi noluit, ut fixum caput fieret et prolapsus funiculi umbilicalis praecaveretur, sub finem pausae doloris oocystis pungitur, magna liquoris amnii copia effluit, proximusque dolor caput in aditu pelvis in I. positione fingit et fonticulus magnus promontorio adntitur. Quum dolores vehementes quidem sed acerbissimi gravidam magnopere irritarent iterum injectio hypodermatica gr. $^1/_3$ Morph. mur. subsecuta est. Quo facto parturiens e doloribus se recreavit et justo mechanismo infans magnopere asphycticus hora 7 m. 45 vespere editus est. Quadrante horae intermisso, methodo quam celerem (readymethode) dicunt

adhibita, infans in vitam vocatus est. Puer recens natus pondus habebat trium libr. et octo semunc; 40 Cm. longus — sinistra capitis pars erat ei aliquantum plana, in sinistro osse parietali plana impressio et satis magnum Kephalaematoma inveniebatur. Primum mammam bene sugebat, sed postea, quum eam sugere recusaret, athrophia, locali morbo nullo accesso, decimo septimo die ex quo natus est e vita discessit.

Mater puerperio, sicuti norma postulabeat perfuncta est.

Casus II.

Pelvis justo minor — omnes diametri $\frac{1}{2}$—$\frac{1}{4}$" abbreviatae. — Partus arte praematurus cathetere adhibito factus est. — Partus subsecutus est 42 horis post catheterem in uterum immissum. — Infans natus duobus horis post mortuus est. — Mater sana e puerperio evasit.

Maria F. ab Katterno vico ad Vratislaviam sito, ancilla primum gravida, brevissima statura (130 Cm. alta), gracilibus ossibus et puerilibus oris lineamentis exstructa. Annum decimum sextum agens primum menstruabat. Ultima menstrua exeunte februario mense se habuisse dicit. Graviditas prospere abiit.

Exploratio:

Mammae magnae, sed non copioso liquore.

Venter latus

die 8. Nov.	die 22. Nov.
Ambitus = 98,30 Cm.	98,30 Cm.
Longitudo = 37,18 Cm.	39,20 Cm.
Paries ventris crassus, striis vacuus, umbilicus laxe promissus.	Uumbilicus concavior quam antea.

Uterus:

latus multam aquam continens, tractabilis	Status idem — contractiones desunt.

Infans in I. Diag. diam. — pulsus foetalis languidior, sed justus. —

Interiore exploratiene instituta apparuit, vaginam perangustam, segmentum uteri inferius parum extentum et caput impressibile fuisse — cervixem uteri altam et retroversam.

Pelvis mensio:

Sp. J.	=	7 1/4" P
Cr. J.	=	8 1/2"
D. Tr.	=	10 1/4"
C. e	=	6 1/2"
C. v	=	3 1/4"

Pelvis justo minor partum arte praematurum postulabat. Aetas foetus 34 hebdomadum estimata est.

Propter angusta et rigida pudenda externa et vaginam die 22. Nov. calidae catachyses 32° R. quater per diem accipiendae praescriptae sunt. Postero die collum uteri aliquanto mollius erat et demissum, et quamquam tertia eaque infima canalis cervicalis pars pervia erat, tamen fieri non potuit quin ei Laminaria insereretur, quam ob rem eo ipso die catachysis calida iterum quater adhibita est. Qua ratione etiam 24. Nov. mane redintegrata, sub horam sextam vespertinam Laminariam in cervicem immitere contigit. Per noctem parturiens doloribus vexabatur, quasi in singulis sacri et ventris partibus traheretur. Hora octava matutina die 25. Nov. Laminaria remota, catheter elasticus crassus in uterum inductus est; qui quum in medio utero in impedimentum incideret, ultra progredi non cogebatur, ita ut dimidia catheteris pars ex pudendis externis emineret. Paulo post inductum catherem conspicuae apparuerunt contractiones, quibus sub meridiem paulum retrusus catheter, quamquam idem impedimentum iterum offendit, tamen facilius quam mane inseri poterat. Hora secunda pome-

ridiana catheter paene totus in uteri cavum immissus est, qui quum et ex pudendis externis et guttatim etiam ex ostio catheteris sanguis emaneret, placentam attigisse conjici poterat. Hora quinta subsecutae suut vehementes contractiones. Cathetere educto vagina paulo laxior atque mollior, quam antea inventa est — cervix dolore urgente evanescebat. Os uteri circiter 4 Cm. erat latum. Pulsus foetalis justus — caput aditui pelvis mobile insidebat. — Postquam cathetere iterum immisso, dolores frequentiores validioresque semper semperque cooriebantur, hora $10\frac{1}{2}$ os uteri totum se aperuit, et hora 11 liquor amnii uberius effluxit, caput arctius in aditu pelvis institit. Media nocta caput foetus jam erat in cavo pelvis, et postquam dolores relaxarunt, duae doses ℈β Secalis corn. praescriptae sunt, quibus receptis statim contractiones rehementiores efficatioresque exortae, hora secunda nocturna puellum vix 32 hebdomadum justo minorem, imbeciliorem que purtu etruderunt. Puellus ex alta, qua sopitus erat asphyxia in vitam revocatus, etsi moderate respirabat, nonnullasque voces emittebat, tamen sensatim imbecilior duabus horis post partum mortuus est. — Caput in pariendo compressum esse indicia haud obscura significabant. — Mater sana e puerperio discessit. —

Casus III.

Angustia pelvis. Partus arte praematurus catheterisatione uteri effectus. — Partus 24 horis post operationem secutus est. — Infans exanimis in lucem editus. — Mater sana.

Augusta M. 23 annos nata, ancilla Vratislaviensis tertium gravida, postremum die 15. Aprilis menstruabat. Statura brevi, pallida. Puella bona fruebatur valetudina. Anno 1862 Kephalotriptore in Clinico, a. 1863 forcipe

iterum partu levata, perfuncta est diuturno puerperio, nec non postea diutius aegrotabat. — Graviditas, de qua disputatur normam tuebatur.

Gravida die 11. Nov. in lechodochium recepta ter accurate explorabatur. Ultima exploratio quae sequuntur praebuit.

Mammae pendentes, non pingues, papilla mediocris, coniformis. —

Venter globosus, promissus. Ambitus = 94,10 CM., longitudo = 42,23 CM. Ventris tegmenta laxa. Uterus rotundior, interdum se contrahens. Caput supra Symph. oss. pubis mobile — foetus in prima diagonali diametro jucens. Pulsus foetalis distinctus, normalis. — Varices in pudensis externis. Vagina mollis laxaque. Laqueur vaginae aeque tenue ac segmentum uteri inferius. Caput mobile supra pelvis parietem anteriorem jacens. Cervix uteri brevis, tumida, promontorio insidens — cervicis pars superior clausa.

Pelvis mensio quod sequitur docuit:

Sp. J. = $8\,^1/_4$″ P.
Cr. J. = $8\,^3/_4$″
D. Tr. = 11″
C. e. = $6\,^1/_2$″
C. d. = $3\,^1/_4$″
C. v. non complens 3″ P.

Qualitas pelvis, aetas foetus, qui circitar 32 hebdomadum fuisse conjici poterat partum praematurum artificialem postulabant.

Die 22. Novembris gravidae remedium laxans datum est — duaeque Catachyses. Qua re cervix, etsi Laminaria non adhibita, adeo amplificata est, ut in eam et per parietem anticum in uteri cavum catheter elasticus induci posset. Cathetere usque in medium cavum inducto, velamentis transfossis magna liquoris amnii copia emanavit, quo fieri poterat, ut catheter totus induceretur. Post dimidiam horae partem (h. nona) leves contractiones

uteri apparuerunt. Partes foetales in 1. Diag. diametro — dorsum dextra — pulsus foetalis non distinctus. Inde ab hora secunda postmeridiana interdum dolores in alvo et in regione sacra apparebant, uterusque aliquando durescebat. Foetus in I. Dag. diam. — major ejus pars dextra in superiori, aeque magna sinistra in inferiori ventris parte. — Cervix uni digito patebat. Juxta partem foetus sinistra superne sitam attractari poterat extremitas quaedam. — Post horam quartam promeridianam prioris catheteris loco crassior inductus efficit, ut haud ita multo post validiores uteri contractionas consequerentur. — Decima hora vespertina frequentiores erant contractiones — cervix mollior, $^3/_4$'' longa. Ori interno parva pars imminebat. Catheter propter dolorum vehementiam remotus est. Pulsus foetalis quam minime distinctus. Hora $12^1/_2$ nocturna cervix plane evanuit, uterique os tam late patens erat, ut ex eo manus sinistra adversa vola prominerct. Die 24. Nov. quinta hora matutina caput in sinistram versus jacebat. Per laxa ventris tegmenta capitis ossa crepitantia attrectari poterant. Partes foetales obliquiores quam antea jacebant. Cervix prorsus explicata et in uteri ore plane amplificato humerus sinister cum brachio flexo jacebat — infantis planicies ventris prona erat — dolores legibus convenientes atque validi. Pulsus foetalis minus minusque distinctus. — Hora undecima matutina foetus sinister superiori aperturae impressus, brachium sinistrum flexum in vagina jacebat.

Quum parturiente chloroformio narcotisata brachium in vagina jacens extensum, ejusque carpo laqueus injectus esset ad versionem accessum est. Quum planicies ventris prona et idcirco pedes infantis multo proniores jacerent necesse esset, parturiens in dextera latere posita est, quo facto dextera manus in uterum operationis exhibendae causa inserta est. Propter eminens promontorium manus inducenda negotium exhibebet, pes sinister prehensus deductus est — funiculus umbilicalis jam non pulsabat.

Trunci versio paulatim contigit externis manipulationibus, sed doloribus deficientibus infans extrahendus erat. Extractio capitis primum non successit et propter promontorium eminens et propter inoportunam capitis positionem (pars capitis prona in dextram vergebet). Parturiens horae quadrantem recreanda curabatur. Per hoc tempus caput, vehementibus doloribus in pelvim ejectum est, ita ut facile extrahi posset. Viginti minutis post placenta ejecta est.

Sectio infantis ostendit:

Collum et brachium sinistrum valde infiltrata. In sinistro humero, brachio et sinistro crure epidermidem aliquantum excoriatam; diaphragma dextera in altitudine IV. et sinistra inter IV. et V. costam fuisse; in sacco pleuro serum flavum — clarum. In trachea viscosum subfuscum fluidum, uberum in, supra et infra locum bifurcationis — commistum cum singulis bullis aëreis; pulmones in aqua demergentes; bronchos tenuiores vacuos; vasa majora uberius sanguine completa; in pleura pulmonali utriusque lateris ecchymoses crebras, pleuram costalem integram; pericardium vaccum, in ejus parte viscerali praecipue in parte sinistra parvas et magnas ecchymoses dispersas; endocardium integrum; thymum glandulam permagnam; ventriculum contentis vacuum, hepar magnum, hyperaemnicum, in anterioribus marginibus utriusque lobi extravasata subserosa; in recto meconium, renes et vesicam urinariam normalia; sinistram cranii partem sanguineo, seroso extravasato infiltratam; sub pericranio partis sinistrae pauca extravasata lenticularia, meninges hyperaemicas, praecipue piam matrem; oedema suparachnoidale: encephalon molle, oedematosum fuisse.

Diagnosis anatomica: Hyperaemia organorum theoracis, hepatis et meningum; trachea et bronchi muco uteri impleta.

Theses.

1. Esternarum corporis humani formarum cognitionem ad diagnosim chirurgicam statuendam plerumque magnopere valere.
2. Sellam Bierkowscianam in sanandis claviculae fracturis non osse prorsus rejiciendam.
3. In typho therapiam nullam esse.
4. Długossio (Longino), qui pestem a. 1348 et a. 1360 Poloniam depopulatam descripsit, medicum in morbi investigando locali natura auctore uti non posse.

Vita.

Natus sum Ignatius Zielewicz die 22. Julii a. h. s. XLI. Powidzii, urbe Magni Ducatus Posnaniensis, patre Adalberto, matre Ludovica e gente Kiszewska. Catholicorum profiteor sacra. Primis litterarum elementis imbutus post praematuram patris mortem a carissimo patruo, quem ut Deus per longum tempus incolumem mihi servet, in dies oro et praecor, Cracoviam exceptus, gymnasium ad S. Annam adii, ibique octo annis peractis, a. 1861 testimenio maturitatis instructus sum. Eodem anno ab Ill. Prof. Dietl tum fasces academicos tenente, in numerum civium Almae Matris Jagellonicae receptus, nomen apud amplissimum medicorum Ordinem dedi, ibique per quinque semestria medicis studiis operam navavi. Lectionibus interfui VV. Ill. Bryk, Czerwiakowski, Czyrniański, Dietl, Kozubowski, h. t. R. M. Majer, Madurowicz, Piotrowski, Roser, Teichmann.

Mense Octobri 1864 ad hanc almam litterarum universitatam Viadrinam accessi et ab Ill. Prof. Roemer, penes quem fasces acad. tum erant, nomine dato, denuo ab Ill. Prof. Barkow amplissimo medicorum ordini adscriptus sum. Tria semestria scholas frequentavi virorum celeberrimorum: beat.

Betschler, Foerster, Freund, Haeser, Klopsch, Lebert, Middeldorpf, Spiegelberg, saepeque mihi contigit Ill. Prof. Cybulski lectionibus interesse.

In clinico et policlinico chirurgico Ill. Middeldorpf, in clinico et policlinico medico Ill. Lebert, in clinico et policlinico obstetricio Ill. Freund et Spiegelberg duces mihi fuerunt benevolentissimi et excellentissimi. In exercitationibus clinicis et policlinicis benignissime me adjuverunt: Exp. DDr. Caro, Dittmar, Fuhrmann, Humelet, Jaensch, Reinhardt, Reichelt, Schiffer, Sommerbrodt.

Quibus viris et ceteris, qui bene de me meruerunt, maximas quas debeo gratias ex animi sententia ago.

Neque hoc loco facere possum quin ab Ill. Prof. Spiegelberg in dissertatione scribenda et consilio et libris benenevolentissime adjutum me esse profiteas, cui gratias quam maximas ago.

Nunc vero tentaminibus physico et medico, nec non examine rigoroso coram amplissimo medicorum ordine superatis fore, ut dissertatione thesibusque defensis summi in medicina et ghirurgia honores in me conferantur, spero.